VIII. 31.
14

CALUMNIA
D. JOANNI FRANCISCO
DE LADERSOUS
LOVANII
IN POEDAGOGIO PORCENSI
PHILOSOPHIÆ PROFESSORI
PUBLICE IMPACTA
IN
CALUMNIATOREM
REVERENDUM PATREM
GERARDUM BOLCK
SOCIETATIS JESU
INVICTE RETORTA
IN NEGOTIO
FAMOSI FORMULARIS BELGICI

Incidit in foveam quam fecit. Pſ. 7. V. 16.

Ne quæſo nobis Patres Fratreſque blandiamur; non pauci hoc in genere *(quod ad linguam pertinet)* valido fræno egent; nemini parcunt; nimiâ agunt libertate & licentiâ, non ſine gravi charitatis, juſtitiæque interdum injuria; dum aliena, ſeu dicta, ſeu facta, nunc amplificata augent, modò ultrò citròque renuntiant, nunc in deteriorem partem accipiunt; ad motus animi atque conſilia Deo reſervata dijudicanda progrediuntur; haud ſcio an dicendum ſit, res neque geſtas umquam, neque per ſomnium quidem oblatas comminiſcuntur & jactant.

R. P. Mutius Vitellescus *Præpoſitus Generalis Societatis Jeſu, Epiſt. ad Patres & Fratres Societ.*

PRÆFATIO

ETſi numquam bene de ſe, numquam de alio malè loquendum ſit: hanc tamen ſacram Regulam quandoque prætergredi invitum compellit juſta neceſſitas, tum ad vindicandam famæ & innocentiæ noſtræ integritatem, tum ad impactas injurias juſtè refellendas. Ita modo res noſtra ſe habet, Lector Benevole. Accidit ut publicæ diſputationi Theologicæ 17. *Junii in Collegio Societatis* JESU *Lovanii argumentaturus intereſſem: calumnias non ferens, quas diſputationis Præſes in EE. DD. ac MM. NN. Academicos S. T. Doctores impudenter effutiebat, quæ ille EE. Dominis in negotio famoſi Formularis falſa impoſuit, in RR. PP. Societatis vera retorſi. Tunc illi variis convitiis & dicteriis me invadentes, nunc P. Præſes, nunc Reſponſalis, nunc extra chorum R. P. Bolck, ſplendidum mendacem, publicum impoſtorem, infamem calumniatorem me traducebant: Janſeniſtam mentientem, in cerebro Janſeniſtico fingentem, fide Janſeniſticâ aſſerentem vociferabantur. Poſtridie in oratione ſua Proëmiali P. Reſponſalis repetitis convitiis & calumniis abſentem impetebat: Philippicam exorſus intonabat:* Audiviſtis heri Janſeniſtam *(à Janſeniſtis autem R. P. Præſes eâdem diſputatione aſſeruit non licere Sacramenta petere vel accipere)* ſplendidiſſimè mentientem.

Poſt hæc ego nonnullis juſtè inſtantibus, ut in judicio vel ſcripto aliquo calumniam expurgarem, aliis mitius conſulentibus, R. P. Bolck Bruxellis ipſe conveni. Expoſui, me ad multorum amicorum inſtantiam, quos & ipſi indicabam, paratum eſſe nil contra ipſum, quod pro juſta mea defenſione poſſem, intentare: tum ut famæ & exiſtimationi

ejus apud omnes conſuleretur, tum ut nomini & auctoritati Ampliſſimorum DD. Prælatorum, qui in ſcenam venerant, parceretur.

Et ecce poſt dies aliquot, contra me Scheda publica typis editur, mendaciis, impoſturis, calumniis referta. Hanc in Portis & Valvis ubique affixam, publice venum expoſitam Lovanii videmus. Hanc per Belgium diſpergunt, latinè peritis relegendam diſtribuunt, mulierculis exponunt: & quas ſcheda non capit, novas calumnias ſuperaddunt: dictorum ſcilicet me pænitere, mendacia me & calumnias agnoſcere, a P. Bolck ſupplicem me veniam flagitaſſe. Ubique impoſtor, infamis calumniator audio. Omnibus fabula ſum. Ne igitur apud eos qui ignorant innocentiam meam, diſſimulatio, conſcientia judicetur, ſi taceam, & teſte S. Auguſtino ſerm. 49 *de diverſis* qui fidens conſcientiæ ſuæ negligit famam ſuam crudelis fit, *impactam mihi publicè calumniam benevolo Lectori pro rei veritate exponam; pro debitâ defenſione expoſitam repellam; quæ in auctorem ſuum juſtâ neceſſitate, repulſa recidet.*

FACTUM
JOANNIS FRANCISCI
DE LADERSOUS
Plurimorum teſtimoniis confirmatum.

INfraſcripti declaramus, die 17. Junii 1692. ante meridiem in publicis Diſputationibus habitis Lovanii in Collegio Societatis Jeſu Præſide R. P. Alexandro Maes Societatis Jeſu ſacræ Theologiæ Profeſſore, præfatum P. Præſidem ad argumentum R. P. Lectoris ex Ordine S. Franciſci inter alia aſſeruiſſe:

1. *Quòd impoſtura ſit & falſiſſimum, aliquid Româ emanaſſe contrà famoſum modernum Formulare, quod Epiſcopi Belgii jurandum propoſuerunt.*

2. *Quòd iidem Epiſcopi Belgii æquè conſtanter hodie illud ab omnibus exigant, & exigere pergant.*

3. *Quòd Eximii illi contrarium fidei Janſeniſticâ aſſerentes, mendaces, impoſtores ſint, non tantùm mentientes reſtrictione mentali, ſed ſplendidiſſima mendacia ſpargentes &c.*

Quòd D. De Laderſous vice ſuâ argumentaturus tria hæc à R. P. Præſide aſſerta aſſumpſerit, ſingula improbare conatus ſit, Præſes omnia negans in aſſertis perſtiterit. Quod idem Oppugnans ad tertium injurioſum aſſertum à præfato Præſide repoſuerit, ipſos è contrà in negotio famoſi Formularis fraudulenter proceſſiſſe: dum ipſorum aliquis, ut ab Ampl.mis DD. Prælatis ſubſcriptionem dicti Formularis obtinere poſſet, *huic* Prælatorum falsò affirmavit, Prælatum *iſtum* ad ſubſribendum famoſo Formulari paratum eſſe: & è contrà Prælato

iſti falsò aſſeruit, & hunc Prælatum Formulari ſubſcripturum: deinde dum apud alterum iſtorum Prælatorum apud quem Oppugnans Theologiæ Lector fuerat, ipſum præfatum Oppugnantem allegavit, falsò affirmando & illum paratum eſſe ut Formulari ſubſcribat &c.

Dum interim præfatus Præſes Oppugnantem tamquam publicum mendacem, impoſtorem, calumniatorem traduceret, Oppugnans ad fidem Ampliſſimorum DD. appellavit, à quibus ſe hoc ipſum intellexiſſe aſſeruit, nullum tamen deſignavit.

Signatum erat

AURELIUS VAN PELT *Ord. Præm. Can.*
LUDOVICUS COUSYNS *Ord. Præm. Can.*
ROBERTUS VANDEN BERGE *Ord. Præm. Can.*
GUILIELMUS VETS *Ord. Præm. Can.*
FR. HENRICUS DENGIS *Religioſus Alnenſis Ord. Ciſter.*
FR. CANDIDUS DE GOZEE *Relig. Walciodorenſis Ord. S. Ben.*
FR. JACOBUS COHGLAN *S. T. Regens.*

Infraſcriptus fatetur ſe Diſputationi, de qua quæſtio, interfuiſſe, & teſtatur prædicta eſſe vera, ſaltem quoad ſubſtantiam. Datum ultimâ Junii 1692.

F. COLLINS *Ordinis Præd. Studii Regens Primarius.*

Infraſcriptus rogatus dare teſtimonium veritatis teſtor narrata ſupraſcripta in ſubſtantia eſſe vera. Neſcio tamen an R. P. Præſes dicens aliquos Epiſcopos Belgii illud juramentum adhuc exigere, addiderit, *æquè conſtanter* & *ab omnibus*. 2. Neſcio an D. Laderſous dixerit, quòd aliquis ipſorum falsò dixerit uni Prælato, alium Prælatum ſubſcripſiſſe Formulari.

3. Præ-

3. Præſes dicens oppugnantem eſſe calumniatorem, addidit: *niſi probaret ſua dicta.* Lovanii 30. Junii 1692.

F. NICOLAUS DE BERTENCHAMPS *Ord. FF. Minorum S. Theologiæ Lector.*

Infraſcripti declaramus, quod tempore & loco præfato, poſt meridiem, *D. De Laderſous* vice ſuâ argumentaturus tria mane ab eodem præfato Præſide aſſerta & ſupra expreſſa, rurſus improbanda aſſumpſerit: & cum præfatus Præſes ſignanter urgeret retractandum vel probandum quod præfatus Oppugnans ante meridiem aſſeruerat, ſcilicet ipſorum aliquem in negotio famoſi Formularis fraudulenter, & nequiter proceſſiſſe; Oppugnans repoſuit, ergo probabo: ſi veritatem dixero, vos me coëgiſtis. Aſſumit: Quod ille fraudulenter & nequiter ageret, qui ut conſenſum & ſubſcriptionem obtineat à Joanne, falsò allegat conſenſurum Petrum, & è contra ut obtineat à Petro, ſic conſenſurum falsò aſſerit Joannem. Conceſsâ majori, ſubſumpſit: Atqui hoc modo veſtrum aliquis in negotio Formularis egit. Negatam minorem probavit ex relatione quorumdam Ampliſſimorum DD. Prælatorum à quibus hoc ſe, Confratre ſuo præſente, intellexiſſe aſſeruit, & ad horum Prælatorum fidem appellavit. Interea inſtante R. P. præfato Præſide, ut Oppugnans niſi impoſtor ſit & calumniator nominatim deſignaret, quis ipſorum ille foret; nominatim appellare noluit, ſed per circumſtantias præſentem deſcripſit.

Quòd ad hæc R.us P. Bolck ejuſdem Societatis exclamaret, Ergò ego ſum &c. Audite Janſeniſtam publicè mentientem &c. Affatus deindè Oppugnantem, quòd niſi modò Amp.mos DD. Prælatos illos nominaret, publicus ipſe mendax, impoſtor & calumniator foret: tunc Oppugnans Ampl.mos DD. Prælatos Diligemenſem, & Frigidi Montis allegavit, quibuſcum taliter in negotio Formularis actum fuiſſet. Petiit, an hoc ipſi aſſererent? Reſpondit, ut ſæpè antè, Oppugnans, ita

ſe ab Ampl.mis DD. Prælatis intellexiſſe, ſcilicet ab ampl.mo Diligemenſe, & alio tertio Ampl.mo Dum inſtaret, quis ille foret Prælatus tertius, Oppugnans Ampl.mum D. Grimbergenſem deſignavit, à quo etiam ſe id ipſum audiviſſe aſſeruit. Poſt hæc R.us P. Bolck in fide Sacerdotis falſa omnia & mendacia eſſe affirmavit: proteſtans tantùm ſe uni & ſoli Prælato Diligemenſi de ſubſcriptione famoſi Formularis ſemel occaſionaliter eſſe locutum, cùm ſæpè Ampl.mus illè ipſum conveniret: admittens, ſe quidem Ampl.mo D. Diligemenſi retuliſſe, & ipſum Oppugnantem paratum eſſe ut famoſo Formulari ſubſcribat; ſed R.um P. Van Outers ejuſdem Societatis hoc ipſum iteratò etiam illo in prandio conſtanter affirmaſſe. Replicuit Oppugnans hoc eſſe falſiſſimum, & ſe deſuper R.um P. Van Outers acceſſurum.

Quòd denique Oppugnans ultimis his verbis concluſerit: Quidquid ſit, quod R.tia V. taliter proceſſerit, dico me ex Ampl.mis DD. Diligemenſi & Grimbergenſi, præſente Confratre meo, intellexiſſe: ad quorum fidem appello & ſiſto.

Signatum erat

LUDOVICUS COUSYNS *Ord. Præm. Can.*
ROBERTUS VANDEN BERGE *Ord. Præm. Ca*
GUILIELMUS VETS *Ord Præm. Can.*
SEBASTIANUS DE LADERIR S. T. B. F.
CORNELIUS VAN LANGHENDONCK S. T. B. F
ANTONIUS CINCK S. T. B. F.

Fatcor Factum ſuprà ſcriptum eſſe verum.

F. HUBERTUS DE RICHELLE *Tertiarius, vulgò Beggardus.*

Infraſcriptus teſtor, omnia in Facto poſtmeridiano eſſe vera,

ra, excepto quod non audiverim ullam mentionem fieri ab Impugnante de Ampliſſimo Grimbergenſi,nec à Patre Bolck illud verbum *Audite Janſeniſtam.*

F. JOANNES O BRIEN *Regens Primarius Præd. Hybernorum.*

Ego itidem teſtor vera eſſe, exceptis illis duobus punctis in immediato teſtimonio R.P. Regentis relatis, quæ non audivi.

F. ANTHONIUS SALL. *Philoſophiæ Lector.*

Infraſcriptus aliorum teſtimonio ſubſcribo quoad ſubſtantiam.Excidit tamen memoriâ,utrùm P. Bolck dixerit, ſe *occaſionaliter* tantùm fuiſſe locutum Ampliſſimo D. Diligemenſi de Formulari: Item, non dixit P.Bolck, Audite *Janſeniſtam* publicè mentientem: ſed,Audivimus *mendacia* vel *mentientem:* quamquam videatur ſatis indicaſſe,à ſe haberi Oppugnantem pro Janſeniſta. Datum Lovanii 29. Junii 1692.

F. THOMAS DU JARDIN. *S.T.D.Ord. Prædicatorum.*

Relegens Factum adverti me non recordari, an P. Bolck dixerit quod P Van Outers conſtanter illo ipſo prandio affirmaſſet quod ſupra narratum eſt. Idem qui ſupra F. T. D. J.

Infraſcriptus rogatus dare teſtimonium veritatis, declaro me poſt meridiem interfuiſſe diſputationi habitæ apud PP. Societatis 17. Junii 1692. & relata in ſcripto ſupra poſito quoad ſubſtantiam ita contigiſſe. Quoad circumſtantias autem, videtur D. De Laderſous cum urgeretur à P. Bolck an illum deſignatum vellet id conceſſiſſe dicendo ſaltem: *ſit ita.* Videtur etiam dixiſſe,quod P. Bolck acceſſiſſet plures Prælatos, qui quantum ad Diligemenſem conceſſit ſe ei dixiſſe: ſibi dictum fuiſſe, quod D. De Laderſous dixiſſet ſe paratum ſubſcribere, idque dicebat ſibi dictum à P. Van Outers, cui D.

 De

De Laderſous id dixiſſet in cubiculo Collegii Lovanienſis Societatis Jeſu. Quoad alios Prælatos, P. Bolck negavit ſe cum eis egiſſe ſuper negotio Formularis. Ita quantum memini res ſe habet. Datum Lovanii in Conventu FF. Minorum Recollectorum die 30. Junii 1692.

F. Bonav. Vanden Dycke *Ord. Min. S. Th. Lector.*

Idem & eodem modo, quo P. L. Vanden Dycke, ego pariter teſtor hac 30. Junii.

F. Hen. Bukentop *F. Minor. S. Script. Lector*

Infraſcriptus teſtor Factum quoad ſubſtantiam eſſe verum: deindè me audiviſſe à Patre Bolck Societatis Jeſu, quod ille non acceſſiſſet Diligemenſem ratione Formularis, niſi quia eum quandoque conveniret, cujus tamen contrarium probavit D. De Laderſous & quidem nervosè. Quodque fuerit petitum à D. De Laderſous, quâ fide credemus vobis, fide Janſeniſtica ? Ad quam petitionem repoſuit D. prædictus: ſive fide Janſeniſticâ ſive Moliniſticâ, probabo eſſe verum. Tum Pater Bolck teſtans Auditorium aiebat, vel ſaltem ante hoc dixit: Videte, non habet pudorem in facie. Quantum ad Frigidi Montis Abbatem, dixit P. Bolck ſe non vidiſſe hominem. Quantum ad Grimbergenſem idem, & quidem ſub juramento Sacerdotii, affirmavit. Audivi quoque ex P. Præſide pro ultima reſponſione: Jam videmus quàm ſint Janſeniſtæ mali Philoſophi, & malevoli Theologi. Hæc ita eſſe, in quantum poſſum recordari, teſtor hac die 8. Julii 1692.

F. Conrardus Scheemakers *S. Theologiæ Lector, ac Collegii tertii Ord. S. Franciſci vulgo Beggardorum Præſes Lovanii.*

FAC-

FACTUM
R. P. GERARDI BOLCK

Nullâ fide, nullo teſte probatum.

D. *De Laderſous Philoſophiæ in Pædagogio Porcenſi Profeſſor Lovanii* 17. *Junii* 1692. *in Diſputatione Theologica, quam Patres Societatis JESU inſtituerant publicam in ſuo Collegio, coram frequenti Doctiſſimorum Virorum conſeſſu clarâ voce ſæpius dixit, atque etiam poſt datum & acceptatum tempus deliberationis iteratò repetiit, P. Gerardum Bolck ejuſdem Societatis, à quo ne verbo quidem fuerat laceſſitus*, Subdolè ac Nequiter *egiſſe in negotio Formularis: hoc ſuum dictum probavit ex eo, quod Pater ille tres* AMPLISSIMOS PRÆLATOS, *videlicet* GRIMBERGENSEM, DILIGEMENSEM, *ac* FRIGIDI MONTIS *ſæpius conveniſſet, ac decepiſſet ad extorquendam ab iis ejuſdem Formularis ſubſcriptionem, interponendo authoritatem D. de Laderſous, quaſi & ipſe paratus eſſet Formulari ſubſcribere: aſſeruitque hæc ſe habere tum ex litteris ad ſe datis, tum immediatè ex ipſis Prælatis.*

UTRIUSQUE FACTI
DISCUSSIO,
Et Calumniæ Expoſitio.

FActum propoſui, non tam meâ fide aſſertum, quam aliorum teſtimoniis confirmatum. Subſcribunt cujuſcumque Ordinis, Gradus, & Dignitatis oculati teſtes, exceptione omni majores: qui plerique ex ordine Oppugnantium, alii ex frequenti conſeſſu honoratiores, ab initio præſentes, mihi viciniores, altè intendentes certiſſimum veritatis teſtimonium perhibent. Nullius horum fidem R.dus P. Bolck ſuſpectam reddet, niſi ſuam apud omnes fidem amittere velit.

Omitto nubem teſtium omnium penè Theologorum Lo-

vanienſium; quia alumni & diſcipuli, R.do P. Bolck non erunt hac in parte fidei majoris, quam ſint R.do P. Maes ejuſdem Societatis, Eximii Thologorum Præſides & Magiſtri; quos ut *mendaces*, *impoſtores*, *ſplendidiſſima mendacia ſpargentes*, calumniosè traduxit.

Aliam facti ſpeciem R.dus P. Bolck in calumnioſa ſcheda præmittit: ſed ſine cruce, ſine luce, ſine fide, ſine teſte adducit. Quod ipſe ſibi cudens & fingens, ſubdolè omnibus, & injuriosè mihi imponit.

Quid? Ubi fides? Aliud longè Factum R.dus P.Bolck ſubſcribendum obtulit pluribus, aliud in calumnioſa ſcheda ſubſtituit omnibus. Quotquot ſubſcripſerunt appello: An Factum ab ipſis ſubſignatum, & Factum à Reverendo Patre Bolck in calumnioſa ſcheda allegatum in re & voce coïncidant.

Si coïncidant, cur oblatum pluribus & à quibuſdam ſubſignatum Factum non producit? Cur novum fingit & cudit? Scimus, oblati Facti ſubſcriptionem à magnæ notæ Viris iteratò eſſe negatam: ſcimus ſubſcribentium atteſtationibus Facti ſpeciem immutatam, reſtrictam limitatam, &c.

Scimus primum ordine, & palmarium ſubſcriptorem ne auctorem dicam, Ex.um P. ac M. Petrum Clenaerts S. T D. qui eximiâ ſuâ fide (ſaltem hac in parte RR.dis PP. Societatis non exiguâ) oblatum Factum per omnia verum atteſtatur, motu proprio ſuperaddens (neſcio quo in me affectu) quod De Laderſous *dixerit*: *& mendaciter.*

O infelix aſtutia, quæ teſtes abſentes adhibes! Vel unum enim de frequentiſſimo conſeſſu appello, qui Ex.um P. M. Clenaerts à meridie, dum quæ atteſtatur, peracta ſunt, præſentem vidit vel audivit. Sanè palmarium hoc teſtimonium, (ne illud motu proprio dicam eſſe *mendacium*) utroque pede integrè claudicat.

At fortè Vir Eximius ad oſtium vel ad cancellos in Odeo abſens

abſens ſpectator fuit. Latet anguis in herba. Suſpicari non auſim quod loco tali Ex.us Doctor Academicus mihi Academico in inſidiis latitet.

Rem ipſam utriuſque Facti diſcuſſione aggrediamur, injurioſè mihi impactam & in calumniatorem juſtè retorquendam calumniam exponentes.

Dum R.us P. Maes Societatis Jeſu 17. Junii 1692. diſputationis Præſes in Collegio Societatis coram frequenti Doctiſſimorum Virorum conſeſſu tria in Facto meo allegata, non minus falsa quam injurioſa publicè effutiret: & ſignanter EEx.os DD. ac MM. NN. S. Theologiæ Doctores in negotio famoſi Formularis ut *mendaces, impoſtores, fide Janſeniſticâ imponentes, ſplendidiſſima mendacia ſpargentes* traduceret: vice meâ argumentaturus comiter oppoſui, EEx.os illos apud omnes eximiæ & integræ fidei Viros peſſimè hac in parte ut mendaces & impoſtores traduci. Cum, quod de Formulari aſſererent, publicè verum & notum foret; ſcilicet Româ aliquid, quidcumque tandem, contra exactionem famoſi juramenti emanaſſe; quoſdam Belgii Epiſcopos ab illius exactione ceſſare; Archiepiſcopum etiam Mechlinienſem in tenore variare. Singula P. Præſes conſtanter pernegans in aſſertis perſtitit.

Ad hæc calumnias non ferens repoſui, ipſos è contra in negotio Formularis ſubdolè proceſſiſſe, dum ipſorum aliquis (perſonam ſilui) ut ab Ampll.mis DD. Belgii Prælatis ſubſcriptionem Formularis eliceret, uni Prælatorum, ſubſcripturum Formulario Prælatum alterum, & alteri, Prælatum priorem ſubſcripturum, falsò impoſuit: Et illorum uni, in cujus Abbatia Theologiæ Lector fueram, me quoque ad ſubſcribendum paratum eſſe, fraudulenter aſſeveravit.

Quæ quidem ut paſſim Bruxellis nota ac publica, ex variis ad me datis litteris intellexeram; Bruxellis præſens, à pluribus fide dignis, ipſis Religioſis, aliiſque familiaribus Prælatorum amicis exceperam; Lovanii à magnæ notæ

 viris

viris confirmatum audiveram. Optimâ proinde fide retuli.

Dum tamen R.dus P. Maes diſputationis Præſes me *publicum mendacem*, *impoſtorem*, *calumniatorem* vociferaretur; invitus & ad refellendum calumniam coactus id ipſum me ex Ampll.mis quibuſdam DD. Prælatis intellexiſſe aſſerui, nullum tamen nominans aut deſignans. Hæc mane.

Poſt meridiem geminatis calumniis inſtabat præfatus Præſes, antemeridianum à me aſſertum vel probandum, quod non poſſem, vel retractandum, quod deberem. Reponens ego, ſi veritatem dixero vos me coegiſtis, aſſertum meum eo argumento, quod ſupra in facto allegavi, probandum aſſumpſi.

Inter hæc ſibi conſcius R.us P. Bolck extra chorum inclamabat: Ergo ego ſum. Et impactas mihi à Præſide calumnias multiplicans, hæc me in cerebro Janſeniſtico fingere, fide Janſeniſticâ aſſerere intonabat: Infamem me & publicum mendacem traducens, niſi Ampll.mos Prælatos illos deſignarem. Quibus ego, penè violentiam paſſus, Ampliſſimos DD. Diligemenſem & Frigidi montis, quibuſcum in negotio Formularis taliter egiſſet, appellavi. Perneganti omnia & acrius calumnianti Ampl.mos DD. Diligemenſem & Grimbergenſem allegavi; à quibus hoc me Confratre meo præſente intellexiſſe aſſerui. Latius Factum meum lector benevolus conſulat.

Calumniatoris Factum mihi refutandum non exiſtimo: ſicuti enim nullâ fide, nullo teſte eſt confictum, ita omnium fide & teſtimoniis Facto meo ſubſcribentium de falſitate eſt convictum. Proinde dum ex illo mendacia, impoſturas & calumnias aſſigno, vel ex ſolo Facto meo refuto.

Hæc itaque aſſerit: *D.num De Laderſous clarâ voce ſæpius dixit atq; etiam poſt datum & acceptum tempus deliberationis iteratò repetiit, P. Gerardum Bolck ejuſdem Societatis, à quo ne verbo quidem fuerat laceſſitus,* SUBDOLE AC NEQUITER *egiſſe in negotio Formularis.* Et infra: *D. De Laderſous publicè conſtanter ac ſæpius, atque poſt horarum aliquot deliberationem in ſecundo congreſſu confidenter inculcavit, P. Gerardum Bolck,* &c. Falſum

Falſum eſt. Quia ante meridiem Patrem Bolck ne indicavi quidem : ergo nec iteratò repetii, nec in ſecundo congreſſu confidenter inculcavi. Poſt meridiem nec nominatim Patrem Bolck appellavi.

Pergit: *Hoc ſuum dictum probavit ex eo, quod Pater ille tres Ampliſſimos Prælatos, videlicet Grimbergenſem, Diligemenſem ac Frigidi-montis ſæpiùs conveniſſet, ac decepiſſet ad extorquendam ab iis ejuſdem Formularis ſubſcriptionem.*

Imponit: quod enim Ampliſſimum Prælatum Grimbergenſem convenerit, neutiquam dixi, vel dicere potui.

Addit: *Interponendo authoritatem D. De Laderſous, quaſi & ipſe paratus eſſet Formulari ſubſcribere.*

Fingit: Hoc enim non de tribus, ſed de unico tantùm diſertè his verbis aſſerui, dicens: *In cujus Abbatia Theologiæ Lector fueram.*

Subjungit : *Aſſeruitque hæc ſe habere tum ex litteris ad ſe datis, tum immediatè ex ipſis Prælatis.*

Fallit : Nam quod retuli, tantùm ex Ampl^mis DD. Diligemenſi & Grimbergenſi, me audiviſſe aſſerui, nè apparenter quidem de Ampl.^mo Frigidi-montis inſinuans : quod etiam ex variis Amicorum (non, ut inſinuat, illorum Prælatorum) ad me datis litteris intellexi.

Fraudulenter tres Ampliſſimos Prælatos, videlicet Grimbergenſem, Diligemenſem ac Frigidi Montis per omnia confudit, quaſi ipſum cum ſingulis pro ſubſcriptione Formularis egiſſe, & me ex ſingulis hoc intellexiſſe, affirmaſſem.

Dicit denique : *Cur enim timeat juvenis Philoſophiæ Profeſſor* (Calumniarum minutiæ) *iteratò dicere quod ſecurè ipſum poſſe dicere pronuntiaverat Ex. Th. Doctor Libertus Hennebel?* Et infra: *Quare quantumvis Ex. Hennebel affirmaverit, ſecurè ipſum hoc poſſe dicere*, &c.

Errat. Hoc enim Vir Eximius neutiquam mihi affirmavit, quem ne videram quidem, nec ex fide aut auctoritate ipſius retuli. Si Vir Eximius *diſertè aſſeruerit,* ut ſcheda habet,

cuidam

cuidam Viro Eximio D. De Laderſous ſecurè poſſe dicere id quod dixerat, ſeque id ipſum poſſe teſtari, verè & ſincerè aſſeruit: teſtari poteſt.

Expoſitam modo calumniam ſingulatim refellamus: diſcutiendo ordine quæ circa tres Ampliſſimos Prælatos, videlicet DILIGEMENSEM, FRIGIDI MONTIS, GRIMBERGENSEM, & R.^um P. Van Outers Societatis Jeſu à me verè dicta, & quæ à calumniatore mihi falsò impoſita ſunt.

CALUMNIA RETORTA

Circa Ampliſſimum Dominum

PRÆLATUM DILIGEMENSEM.

Ampliſſimus Vir ille (cui me plurimùm, ut quondam in ejus Abbatia Theol. Lectorem, devinctum recognoſco) haud ægre feret, quod ad refellendam teterrimam calumniam vel invitus, & coactus, auctoritatem & fidem ejus interpoſuerim & modo interpellem.

Dixi poſt frequentes injurioſas extorſiones R^dum P. Bolck ſæpius Ampliſſ. D. Diligemenſem conveniſſe ad famoſi Formularis ſubſcriptionem eliciendam. Dixi ad hoc auctoritatem Ampliſſ. D. Frigidi Montis interpoſuiſſe, aſſerendo paratum eſſe illum ut famoſo Formulari ſubſcribat. Taceo hactenus quibus aliis modis & artibus Candidiſſimum Virum ad ſubſcriptionem inducere tentaverit; ſed prudentiſſimum non potuit. Dixi viciſſim, Prælato Frigidi Montis inſinuaſſe, ut ad ſubſcribendum induceretur, quod ad ſubſignandum paratus foret Ampliſſimus D. Diligemenſis.

Et hæc quidem *fide dixi optimâ*. Cum ex pluribus, *qui* Viri *ſinceri ac fide digni* æquè ac P. Van Outers *ab omnibus habentur*, audiviſſem: ſicuti R^dus P. Bolck *fide optimâ ſe egiſſe* in calumnioſâ ſchedâ prætendit; *quia*, quod falsò de me aſſeruit, *habebat ex ore* unius & ſolius P. Van Outers ejuſdem Societatis.

Deni-

Denique dum R. P. Bolck *Mendacem, Impoſtorem, & Calumniatorem* me publicè traduceret, Ampl.mum D. Diligemenſem deſignavi, à quo hæc me, Confratre meo præſente, intellexiſſe aſſerui.

Taliter agere ut in argumento aſſumpſi, meritò conceſſum eſt, eſſe *ſubdolè, fraudulenter, & nequiter agere.* At ſubſumendo ipſorum aliquem taliter proceſſiſſe, R.dus P. Bolck in fide Sacerdotis *Falſa omnia & mendacia affirmavit, proteſtans tantum ſe uni & ſoli Prælato Diligemenſi de ſubſcriptione famoſi Formularis ſemel occaſionaliter eſſe locutum cum, ſæpè Ampl.mus ille ipſum conveniret.*

Sciebat tamen R.dus P. Bolck ſe *ſæpius* Ampl.mum D. Diligemenſem conveniſſe, ut famoſi Formularis ſubſcriptionem ſollicitaret. Sciebat ſe Ampl.mi D. Frigidi Montis auctoritatem ad hoc ſæpe interpoſuiſſe, quem ad Formulari ſubſcribendum paratum eſſe falsò aſſeveravit. Sciebat quod poſt frequentes repulſas Ampliſſimus D. Diligemenſis Formulari ſubſcribere nollet; & tamen illum paratum eſſe Ampl.mo Frigidi Montis inſinuavit.

Sed ad hæc (quæ Capitalis noſtra eſt quæſtio, mea vel ipſius publica calumnia) ne vel verbum quoad Ampliſſimum D. Diligemenſem in calumnioſa ſcheda reponit. Ergò jam meliùs ſapiens diſſimulando admittit: nec in fide ſua Sacerdotali, ut ante, negat, quod non poteſt; nec Ampliſſimi D. Diligemenſis contrarium teſtimonium allegat, quod non habet.

Ampl.mi D. Grimbergenſis, *quem nunquam fuit allocutus*; Ampl.mi Frigidi Montis, *cui nunquam fuit locutus, ſaltem ex quo tempore cæpit moveri difficultas de Formulario*, teſtimonia (quæ ad rem noſtram non pertinent, ut infrà ſuo loco) adducit.

Ampl.mi D. Prælati Diligemenſis (*quem convenit ſæpiùs ac ſingulis fermè ſeptimanis*, ut in calumnioſa ſcheda) utpotè familiaris ferè domeſticus, teſtimonium, in quo quæſtionis noſtræ cardo vertitur, non producit.

Ad

Ad Ampl.mi hujus Viri integerrimam fidem, & candidiſſimam ſinceritatem appellavi, & appello modò. Ipſe appellavit, causâ cecidit. Contrarium contrà me eorum, quæ ſuprà aſſerui, teſtimonium, tum verbo, tum ſcripto requiſivit: adferre non poteſt quod non obtinuit. Cauſa finita eſt.

Nec enim quod Ampl.mâ ſuâ fide Vir Ampl.mus pro rei geſtæ veritate pluribus magnæ notæ & famæ Viris aſſeruit, contrario teſtimonio negabit factum, aut retractabit dictum.

Proindè opus non eſt Ampl.mi Viri fides allegata ſcripto: quia dum Rdo. P. Bolck non negavit quod dixi, confirmavit quod aſſerui. Data pluribus verbo fides ſufficit: quorum teſtimonia cum in quæſtionem non venerint, hactenus non adduco. Verùm quia illa me Confratre meo præſente intellexiſſe aſſerui, ut plenè fidem liberem, illius hîc, qui æquè ſi non magis quâm P. Van Outers *ſincerus ac fide dignus ab omnibus habetur*, teſtimonium ſubjicio.

Ego infraſcriptus profiteor ac teſtor, me 21 *Maii* 1692. *ea quæ ſupra recenſentur, ex ore Ampliſſimi Domini Prælati Diligemenſis (præſente Domino De Laderſous) audiviſſe. Dabam Lovanii* 18. *Julii* 1692.

JUDOCUS DE COCK *Philoſophiæ Profeſſor.*

Ex quibus manifeſtum fit, quod P. Bolck Calumniam ſibi impactam, ut calumnioſè prætendit, neutiquam revincat, ut in calumnioſa ſcheda jactitat: Sed dum in illa contra mea circà Prælatum Diligemenſem aſſerta (quòd quæſtionis noſtræ caput eſt) nè verbum reponit, ipſe in caput ſuum impactam mihi Calumniam retorſit.

CALUM-

CALUMNIA RETORTA
CIRCA
AMPL.mum D. FRIGIDI MONTIS.

AMpliſſimum hunc virum tanquam alterum nominavi quocum R. P. Bolck de ſubſcriptione famoſi Formularis egiſſet. Aſſerui, quod & huic falsò allegaverit Ampliſſimum D. Prælatum Diligemenſem famoſo Formulari ſubſcripſiſſe aut ad ſubſcribendum paratum eſſe. Nec in hoc *Mendax, Impoſtor* aut *Calumniator* fui. Fide egi optimâ: Id enim habebam ex ore plurium etiam Monaſterii Frigidi Montis domeſticorum. Hoc ex Ampl.mo D. Prælato Diligemenſi, ut ſupra oſtendi, & ex Ampliſſimo D. Prælato Grimbergenſi, ut oſtendam infra, intellexeram.

At P. Bolck, ut aſſerit, *Prælato Frigidi montis numquam fuit locutus, ſaltem ex quo tempore cœpit moveri difficultas de Formulario* (quod tempus, aut quam difficultatem intelligi velit, neſcio.) Probat ex Ampliſſimi Prælati Frigidi-montis teſtimonio, quod 23. Junii 1692. Bruxellis dedit his verbis: *Teſtamur R. P. Gerardum Bolck Societatis Jeſu numquam mihi fuiſſe locutum, ex quo tempore cœpit moveri difficultas de Formulari. &c.*

Rectè Vir Ampliſſimus *ad litteram* teſtari potuit, numquam ſibi fuiſſe locutum: ſcilicet *per ſe* & *immediatè*: Sed atteſtando numquam ſibi fuiſſe locutum non negavit meum aſſertum: tacuit enim aliquid veri, non dixit aliquid falſi, ut de Abrahamo S. Auguſtinus lib. 22. contra Fauſtum cap. 33. Rdus P. Bolck non ſit ipſi *per ſe & immediatè* de Formularis ſubſcriptione locutus. In verbo luditur.

Mille enim aliis modis, mille artibus, verè ac rectè feciſſe dicimur quod per *nos ipſos immediatè* non fecimus: per litteras, per alium &c. Sic Matth. 8. v. 7. dicitur, *Cùm autem* Jesus *introiſſet Capharnaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum & dicens:* & tamen illud, *acceſſit, rogans, dicens* S. Auguſtinus intelligit non per ſe ipſum, ſed per Seniores Judæorum, per amicos

amicos &c.l. 2. de Conſ. Evang. c. 20. l. 33. cont. Fauſt. c. 7. & 8.

Sic Regula Juris in 6. habet : *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſe ipſum.* Ad quam Interpretes plura allegant ad rem noſtram appoſita exempla.

Igitur quòd R. P. Bolck per alium fecit, ipſe feciſſe rectè dicendus eſt. Hìc hæret aqua.

Sæpè Ampliſſimus Frigidi Montis in ſubſcriptione Formularis ſibi obreptum eſſe apertè conqueſtus eſt ; ſæpè deceptum ſe eſſe tum domeſticis ſuis, tum exteris, quà clam quà palàm ingenuè confeſſus. Quoties coram ornatiſſimo plurium Prælatorum conſortio, dum ſermo incideret, quòd ſolus inter omnes Prælatos Formulari ſubſcripſiſſet, ingemuit illud: *Fui deceptus, fui deceptus.*

Sæpè obreptionis & deceptionis cauſam indicavit: ſignanter dum cuidam Religioſo ſuo admiranti, quòd ſolus inter omnes Prælatos Formulari ſubſcripſiſſet, ſincerè repoſuit, etiam & Prælatum Diligemenſem Formulari ſubſcripſiſſe, vel ad ſubſcribendum paratum eſſe, quod ſibi conſtare aſſeruit. Quoties obreptam ſuam ſubſcriptionem, dum ſe deceptum vidit, repeti curavit!

A quo Vir optimus deceptus fuit ? A quo Prælatum Diligemenſem Formulari ſubſcripturum intellexit? Niſi ab illo, qui ſubſcriptionem Formularis obtinendi provinciam infeliciter aſſumpſit: Qui ſæpè antè Ampl.mum Frigidi Montis ad ſubſcribendum Formulari paratum eſſe, Ampl.mo Diligemenſi conſtanter, ſed falsò affirmavit: Qui & poſteà obreptè obtentam Prælati Frigidi Montis ſubſcriptionem, Ampl.mo D. Diligemenſi, ut & ſuam adjungeret, oſtentavit, R. P. Gerardus Bolck.

Quid moror ? Quod circa Ampl.mum D. Frigidi Montis de R.do P. Bolck aſſerui, Vir Ampl.mus ac ſinceriſſimus R.do ac Eru.mo D. Vande Neſſe S.T.L. & Paſtori cognato ſuo & familiari, altè conquerens, candidè confeſſus eſt: in cujus plenam fidem Eruditiſſimi *Viri qui ſincerus ac fide dignus,* æquè, imò magis quàm P. Van Outers, *ab omnibus habetur,* atteſtationem ſubjicio.

infra-

Infraſcriptus S. T. L. Paſtor S. Joannis in Molenbeca, & S. Catharinæ Bruxellis, ad inſtantiam Doct.mi D. N. De Laderſous Profeſſoris in Pædagogio Porcenſi, & in favorem juſtitiæ declaro, paratus etiam ſolemni juramento, ſi opus fuerit, affirmare, R.dum admodum ac Ampl.mum D. Abbatem Frigidi Montis mihi in terminis dixiſſe die decimâoctavâ Junii noviſſimi, ſe fuiſſe deceptum in ſubſignatione famoſi Formularis circa V. Propoſitiones Janſenii & R.dum Patrem Bolck è Societate Jeſu dixiſſe uni Religioſo præfati Monaſterii Frigidi Montis, Ampl.mum Dominum Abbatem Diligemenſem paratum eſſe ad ſubſignandum prædictum Formulare. Datum Bruxellis 17. Julii 1692.

GUIL. VANDE NESSE.

Et tamen R. P. Bolck in fide Sacerdotis publicè & conſtanter, de ſolo Prælato Diligemenſi vix admittens, *quoad alios Prælatos negavit* (verba ſunt RR. PP. Vanden Dycke & Bukentop Ord. Min. S. T. Lect. quorum fides & ſinceritas, ſignanter in hac cauſa, nulli ſuſpecta eſt) *ſe cum eis egiſſe ſuper negotio Formularis.*

Neutiquam igitur ex Ampl.mi D. Frigidi Montis teſtimonio ſplendidum mendacium eſſe revincitur quod dixi. Quia quod à plurimis, etiam Ampl.mis DD. Prælatis Diligemenſi & Grimbergenſi audiveram, tantum retuli: & verò eſto Rdus P. Bolck non *per ſe & immediatè* locutus fuerit, per alium tamen pro ſubſignatione Formularis apud Amplmum D. Frigidi Montis ſubdolè egiſſe, ſatis oſtenſum puto.

CALVMNIA RETORTA

circa Ampliſſimum Dominum

PRÆLATUM GRIMBERGENSEM.

QUod Amplmum hunc virum attinet, duo mihi circa illum calumnioſa ſcheda mendaciter imponit. Unum ſcilicet, *quod clarâ voce ſæpius dixerim, atque etiam poſt tempus deliberationis iteratò repetierim, P. Gerardum Bolck Amplmum D. Grimbergenſem*

ſæpius conveniſſe ac decepiſſe ad extorquendam ab eo Formularis ſubſcriptionem, interponendo auctoritatem D. De Laderſous, quaſi & ipſe paratus eſſet Formulari ſubſcribere. Et infra : Quod *hoc ipſum publicè, conſtanter, ac ſæpius dixerim, atque in ſecundo congreſſu confidenter inculcaverim.* Alterum, quod *clara voce, publicè, conſtanter, ac ſæpius* Ampl.^{mum} Prælatum Grimbergenſem nominatim appellaſſem.

In primo enim congreſſu, ſcilicet ante meridiem, nullum Prælatum deſignavi. Ergo *poſt datum tempus deliberationis Ampl.^{mum} Grimbergenſem non repetii, nec in ſecundo congreſſu poſt meridiem confidenter inculcavi.* De perſonæ meæ interpoſitione tantum apud unum Prælatum, apud quem Theologiæ Lector fueram, dixi: Ergo de Grimbergenſi intelligi non potui. Conſtat utrumque ex Facto meo antemeridiano. Vel unum, ſi poſſit, teſtem ex frequentiſſimo Conſeſſu Calumniator producat, qui me Ampl.^{mum} Grimbergenſem aut alium Prælatum mane in primo congreſſu nominaſſe deponat: aut affirmet à me umquam inſinuatum, quod R. P. Bolck apud Ampl.^{mum} Grimbergenſem perſonam meam interpoſuiſſet.

Deinde numquam aſſerui, quod R. P. Bolck Ampl.^{mum} Grimbergenſem *ſæpius conveniſſet ac decepiſſet ad extorquendam ab eo Formularis ſubſcriptionem:* Sciebam enim quod nec ille, nec Jeſuita aliquis Ampl.^{mum} hunc Virum (cauſa ad rem noſtram non adeo eſt impertinens) hactenus acceſſiſſet. Tantum de duobus, ſcilicet Ampl.^{mis} Diligemenſi & Frigidi Montis (ut ex poſtmeridiano meo Facto patet) dixi, quibuſcum R P. Bolck de Formulario ſubſcriptione egiſſet. Id ipſum in depoſitione ſua teſtatus eſt apud Lovanienſes magnæ notæ & famæ Vir mihi de Auditorio viciniſſimus, qui oblato à PP. Societatis Jeſu Facto (non quod calumnioſa ſcheda mendaciter confictum ſine teſte præfert) limitatè ſubſcripſit.

Denique *nec clarâ voce, nec ſæpius, nec conſtanter Ampl.^{mum} Grimbergenſem* umquam nominavi, quia iteratis injurioſis extorſionibus coactus ultimò, hæſitanter ſemel, vix deſignavi: ita

ita ut de auditorio plurimi ex Oppugnantibus mihi viciniſſimi, ut patet ex teſtimoniis ſupra RR. PP. Joannis O Brien & Antonini Sall, *non audiverint ullam mentionem fieri ab Impugnante de Ampl.mo D. Grimbergenſi.* Imo nec ipſe R. P. Bolck omnibus ſenſibus attentus, nominatum à me Grimbergenſem audivit, ſed ex aliis tantùm intellexit.

Dum hæc refutata calumnioſa mendacia R. P Bolck Ampl.mo D. Grimbergenſi fallaciter, mihi autem injurioſè impoſuit; inter alios oſtentabat nomen & fidem unius, qui oblato Facto, non prout in calumnioſa ſcheda expreſſum eſt, ſubſcripſerat & Ampliſſimo Grimbergenſi præ reliquis Deponentibus notus & in æſtimatione eſt: fraudulenter ſubticens, Illum in ſua depoſitione negare, quod circa Prælatum Grimbergenſem oblata Facti ſpecies falsò affirmabat.

Requiſitus Vir Ampliſſimus omnis fraudis neſcius, ſolito ſuo candore & ſinceritate Bruxellis dedit hoc teſtimonium: 19. Junii 1692. *Teſtamur R. P. Gerardum Bolck numquam mihi fuiſſe locutum, multo minus voluiſſe aut conatum fuiſſe me inducere ad ſubſcribendum Formulario.*

Veritatis teſtimonium dedit Vir Ampliſſimus: ſed nequaquam per hoc, Aſſertum meum falſitatis redarguit. Ne vel litteram contra me teſtatur. Numquam enim, ut oſtenſum eſt, aſſerui, P. Bolck Prælatum Grimbergenſem umquam fuiſſe allocutum &c. Quod cum Ampliſſimis Prælatis Diligemenſi & Frigidi Montis R. P. Bolck de ſubſcriptione Formularis egerit, tantum indicavi.

Si verò nonnullis forte ex frequentiſſimo conſeſſu, magis remotis, minus attendentibus, quæſtionis noſtræ ſtatum non ſatis aſſequentibus, inſinuaſſe hoc videar (quod ex trium Prælatorum à me allegatione pro diverſa extorſione & pro utriuſque ab illis confuſione contingere potuit) apertè declaro, hoc me neutiquam inſinuare voluiſſe nec potuiſſe.

Hoc unum & ſummum vix dixi, quòd R. P. Bolck cum duobus aliis Prælatis in negotio Formularis ſic egerit, etiam

me Confratre meo præſente ex Ampliſſimo Prælato Grimbergenſi audiviſſe: ut patet ex Facto meo poſtmeridiano.

Ægrè quidem Vir Ampliſſimus tulit, & dum ipſi ultimò Bruxellis 2. Junii aderam, comiter improperavit, quod familiari excepta colloquio, quo me & Confratrem meum aliquoties honoraverat, publicè propalaſſem. Non publicavi ſecretum, ſed aliunde notum & publicum narravi: ad refellendam tamen efficacius *mendacis, calumniatoris & impoſtoris* notam, etiam Ampliſſimi Viri fidem ſemel, vix interpoſui. Invitus & coactus authoritatem ejus in protectionem meam aſſumpſi: eamdem modo adverſus publicam mihi impactam calumniam ſecurè aſſumam. Data fides verbo Confratre meo præſente hactenus ſufficit: cujus hic depoſitionem adjungo.

Infraſcriptus profiteor ac teſtor me ea, quæ ſupra teſtatus ſum audiviſſe ex ore Ampl.mi Abbatis Dilgemenſis, etiam quoad ſubſtantiam (præſente D. De Laderſous) audiviſſe ex ore Ampl.mi Domini Abbatis Grimbergenſis. Dabam Lovanii 18. Julii 1692.

JUDOCUS DE COCK.
Philoſophiæ Profeſſor.

Itaque ex adducto Ampl.mi Grimbergenſis teſtimonio, nequaquam (ut calumnioſa ſcheda omnibus fraudulenter imponit) de *ſplendidis mendaciis convictus ſum:* cum Vir Ampl.mus tantum teſtetur, *R.um P. Bolck nunquam ſibi fuiſſe locutum &c.* quod non aſſerui. Mendax probabor, dum teſtabitur ſe mihi, Confratre meo præſente, non narraſſe quod retuli. Sed nimis omnibus Ampl.mi hujus Viri nota eſt fidei integritas, notus eſt ſinceritatis candor. Ille igitur de ſplendidis mendaciis convictis ſit, qui hæc mihi mendacia, & calumnias imponit.

C A

CALUMNIA RETORTA
CIRCA
R. P. EMMANUELEM VAN OUTERS

Societatis JESU *SS. Litterarum Profeſſorem.*

Dixeram, R. P. Bolck Ampl[mo] D. Diligemenſi, ut Formularis ſubſcriptionem eliceret, etiam falſò affirmaſſe, (quod de duobus aliis Prælatis a me aſſertum calumnioſa ſcheda mentitur) & me paratum eſſe ut Formulari ſubſcribam: unum hoc inter omnia a ſe dictum R. P. Bolck ingenuè admittit: *Sed in hoc*, ut in calumnioſa ſcheda, *nec ſubdolè, nec nequiter, neque mendaciter, ſed fide egit optimâ; quia hoc habebat ex ore P. Emmanuelis Van Outers, cui D. De Laderſous dixerat, ſe paratum eſſe jurare in Formulare, ubi id ab ipſo exigeretur.*

Aſſertum probat, & R[di] P. van Outers teſtimonium his verbis ſubjicit:

Ego infraſcriptus profiteor ac teſtor id, quod ſuprà recenſetur, cum ſermo de D. De Laderſous fortè incideret, Patri Bolck à me relatum eſſe, idque acceptum in familiaribus cum dicto D. colloquiis; relatum, inquam, non ad eum, ut patet Orthodoxo cuilibet, gravandum invidiâ, ſed exiſtimationi ejus, quæ mihi cara eſt, conſulendum. Dabam Lovanii 6. Julii 1692.

EMANUEL VAN OUTERS
Societatis Jeſu SS. Scripturarum Profeſſor.

Quid ultra? P. Van Outers hoc me dixiſſe profitetur & teſtatur, *qui*, ut in eadem ſcheda, *Vir ſincerus ac fide dignus ab omnibus habetur.* Sinceritatem & fidem illius in aliis non diſcutio; in hoc ſuſpecto: nec enim in negotio famoſi Formularis

laris magis ſincerus & fide dignus habendus eſt, quam in illo RR. PP. Maes, De Hornes, Bölck, ejuſdem Societatis haberi debeant, quos publicè fallentes & imponentes, omnes audivimus.

Audivimus enim R. P. Maes diſputationis Præſidem 17. Junii 1692. ante meridiem publicè ac ſæpius aſſerentem, ut in Facto meo ſupra patet, 1. *Quod impoſtura ſit & falſiſſimum, aliquid Româ emanaſſe contra Famoſum Modernum Formulare quod Epiſcopi Belgii jurandum propoſuerunt.* 2. *Quod iidem Epiſcopi Belgii æquè conſtanter illud hodie ab omnibus exigant, & exigere pergant.* 3. *Quod Eximii illi contrarium fide Janſeniſticâ aſſerentes, mendaces, Impoſtores ſint, non tantum utentes reſtrictione mentali, ſed ſplendidiſſima mendacia ſpargentes &c.*

Qua fide? Cum hæc ipſa *Impoſturas eſſe & falſiſſima*, nemo niſi in Belgio peregrinus, ignoret.

Sinceritatem ejuſdem Præſidis intelleximus, dum argumento Ex. P. M. Collins Ord. Præd. Studii Regentis Primarii contra Theſis 3. hæc verba *Decreta prædeterminantia Deo planè indigna ſunt ad omnia inutilia & planè chimerica, atque adeò ad nihilum valent ultra niſi ut &c.* Preſſus & oppreſſus ly, *&c.* fallaciter expoſuit, *niſi ut rejiciantur à nobis.* Quâ ſinceritate? Cum vel inſpicienti Theſim pateat, ly *&c.* intelligendum eſſe conſequenter ad textum Evangelii Matth. 5. *Niſi ut mittantur foras & conculcentur ab hominibus.*

In eadem diſputatione poſt meridiem, teſte toto conſeſſu R.dus P. De Hornes Societatis Jesu publicè clarâ voce & conſtanter affirmavit *R.mum ac Ill.mum D. Epiſcopum Antverpienſem Famoſi Formularis juramentum hâc ultima ordinatione ab omnibus paſſim ordinandis exegiſſe:* Et hoc ſibi conſtare, cum penè ſingulis diebus Epiſcopo adeſſet, adſeveravit. Quod tamen ex Ampl.morum DD. Examinatorum auctoritate, Ordinatorum fide, imo famâ publicâ falſum eſſe omnes norunt.

Apertas Calumnias & ſplendida mendacia R.di P. Bolck tum ex Facto meo ſupra, tum ex calumnioſâ ſcheda allegata, ſufficienter demonſtrata, ac refutata arbitror.

Non opinor igitur, quod majoris ſinceritatis & fidei hac in parte haberi præſumat R[dus] P. Van Outers, junior Theologiæ Profeſſor, quàm illi in Societate emeriti Magiſtri. Minùs tamen iſtis exceſſit. Imponentes enim pernitiosè ſecutus eſt officiosè: Dum hoc à ſe teſtatur, *relatum non ad eum, ut patet Orthodoxo cuilibet, gravandum invidiâ, ſed exiſtimationi ejus, quæ mihi cara eſt, conſulendum.* Sit mea tibi R.P. chara exiſtimatio, ſed ſit in veritate chara.

Quid multa? In omni fide ac ſinceritate profiteor, & ſi opus, juramento affirmare paratus ſum, quod numquam R[do] P. Van Outers dixerim, *Me paratum eſſe jurare in Formulare, ubi id exigeretur*: econtrà eâdem veritate declaro, me R.[do] P. Van Outers contrarium ſatis indicaſſe (prout frequenter pluribus aliis, ſignanter magnæ notæ Viro Academico PP. Societatis minimè ſuſpecto, qui ſæpius ſuper hoc ſermonem mecum inſtituit) dum communem difficultatem in juramento illo, circà quæſtionem Facti propoſui, & poſt aliquam inter nos altercationem ille me ad tunc editam ſchedam, cui titulus *Quæſtio curioſa*, remiſit.

Quorum & aliorum optimè conſcius obſtupui quod R. P. Bolck in publicâ diſputatione 17. Junii conſtanter aſſereret, ſibi R.[dum] P. Van Outers etiam illo in prandio retuliſſe, *me paratum eſſe jurare in Formulare.* Attonitus replicui, prout in Facto, hoc eſſe *falſiſſimum, & me deſuper R. P. Van Outers acceſſurum.* Sæpe quidem Collegium Societatis adivi, ſed numquam Patri Van Outers loqui obtigit. Dum ad illum litteras parabam, calumnioſa ſcheda, cum adjuncto ejus teſtimonio, editur.

Ubi verò à R[do] P. Bolck hoc de me Ampl[mo] D. Diligemenſi relatum eſſe ex litteris de 13. Maii intellexi (neſcius an ipſe P. Bolck peſſimè fingeret, an ab alio malè informatus aſſereret) ſine mora 14. ejuſdem ad impoſturam refellendam has litteras ad Ampl. Diligemenſem dedi.

A M-

AMPLISSIME DOMINE,

CUm intelligam, nonnulla de me Amplitudini Veſtræ, fideliter minus & veraciter delata, æquum putavi Amplitudinem Veſtram de rei veritate ſincerè magis informare: audio itaque quempiam Amplni Veſtræ conſtanter affirmaſſe, & me paratum eſſe qui famoſo moderno Formulari ſubſcribam in illud Jurem &c. Quiſquis is eſt, aut ab alio malè informatus Amplni Veſtræ detulit, aut ipſe peſſime finxit. Nihil enim mihi ſimile hactenus vel in mentem incidit vel ore excidit: nec mihi iam Philoſopho hac in parte declarandi animum fuit ratio vel occaſio. Ceterum ut me modo Amplni Veſtræ totique florentiſſimæ ſcholæ Theologicæ Diligemenſi candidè aperiam: Ego omnium & ſingulorum Romanorum Pontificum decreta, conſtitutiones, Bullas vel ad apicem amplector & veneror: in illarum verò ſingularem quorundam particularium interpretationem, expoſitionem &c neutiquam juro. Si tamen hanc approbando aut confirmando Romana Sedes proponat, per omnia & in omnibus ſincerum me obedientiæ filium exhibebo. Quibus cum manuum oſculo ſubſcribar ad omnia

AMPLISSIME DOMINE

Amplitudinis Veſtræ

Humillimus, & devinctiſſimus Famulus

J. F. De Ladersous.

Lovani 14 Martii 1692.

Quis igitur tam ſplendidi mendacii auctor ſit, an P. Bolck primò fingendo, an P. Van Outers falsò aſſerendo, neſcio. Hoc ſcio, quod alium, cui hoc à me dictum fingere poſſent, magis opportunum non haberent: cum ſolum R. P. Van Outers ex Societate mihi magis notum & parum familiarem, bis convenerim.

Super